



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

De Bonis religiosæ vitæ, & primò quanta benignitate Deus religiosos
aspiciat. Cap. xij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

De bonis religiosa vita, & primò, quanta benignitate Deus religiosos aspiciat.

CAPVT XII.



A his ergo ærumnis, atque miseris fuimus liberati, cum sæculi diuitias, honores, voluptatesque contempsimus, & acceptis à Deo gratiæ pennis, in vitam religiosam aufugimus. Quare æquum sanè est, vt tam ingens beneficium agnoscamus, & misericordias Domini in æternum cantemus. Istæ autem misericordias, quas Deus in religiosos contulit, ad breue compendium redactæ duæ sunt, vt diximus, à Paulo, dñi Colossensibus scriberet, recensitæ. Qui eripuit nos (inquit) à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.] Magnum beneficium, quodd Deus eos à misera seruitute tenebrarum eripuit, & à Diaboli exactoris durissimi exemit potestate: quo beneficio prædictis omnibus malis soluantur, sed multò maius, atque præstantius, transtulisse illos in religiosum statum, in regnum dilecti filij sui, quod bona ineffabilia comprehendit. Hæc autem bona sub eodem terrenæ Hierosolymæ typo, idem Propheta, & numerare, & elegantissima metaphora explicare pergit. Transiens (inquit) per te.] Ab hoc Dei tràstui beneficia incipiunt diuina. Tràstus enim Deus, cum mætem rebellem, & peccatis irretitam, mortis memoria, gehennæ metu, ac horrore iudicij tamquam quibuldam telis oppugnat, cum terroribus ac minis aggreditur, cum internis increpationibus impetit, & exprobrando ei præposteram vitam, pessimos mores, & annos in vitis ac peccatis consumptos, eam acriter reprehendit. Nò dum Deus stat, quia allocutiones istæ diuinæ in principio vocationis non multùm durant, sed citò prætereunt. Timet homo, & tremore concutitur, cum Deum loquentem audit, cum minacem, & iratum considerat, sed cessat voce eius iterum dormit, & falsa securitate quiescit, & vitæ mutationem nec dñi admittit. Nondum Deus stat, quia homo mancipium Diaboli factus, adhuc indignus est Dei dilectos suos, protegens illos, remunerans illos, ab omni periculo defendens illos, licet ipsi minimè eum videant, & longè aliquando distitum esse existiment. Vox sponsæ est, non inimici. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.] Denique prope est Dominus sanctis, & electis suis (inquit Bernardus) etiam cum longè esse videtur. At prope inimicos suos nò stat, sed appropriat vt eos vocet, vt ex hostibus amicos faciat, & quamdiu in perfidia, ac duritie cordis perseverant, citò tranfit.

Vis videre, quia Dominus non est cum impiis, & peccatoribus, sed quàm longè ab illis abest, audi Prophetam Longè à peccatoribus salus.] Et rursus alius, De reliquam populum meum, & recedam ab eis: quia omnes adulteri sunt, cæterus præuarcationum.] Istis ergo à Domino corde, & voluntate separatis, nonnumquam ipse Dominus, misericordia incitatus appropriat. Tranfit per illos non quidem, vt mentem, cui appropinquat, vacuam, & egenam derelinquat, sed vt ipsa in iudicium non veniat, imò transeat de morte ad vitam. Tranfit ille, vt in tràstui cæcæm luto, id est cognitione suæ vtilitatis, & mundanæ instabilitatis illuminet, vt sedentem in telonio perniciosæ cupiditatis, ad suam sequelam euocet. Vt tandem percutiat Egyptios, id est, sæculares curas, &

vanas cogitationes, quæ vincam in Egipto tenet, & compeditam, ne opera lateris, & luti deserat, & in terram sibi promissam, lacte, & melle manantem, id est, in sanctam religionem, confugiat. Tranfit ille, vt illud beneficiù animæ præstet, quod in Isaia scriptum est. Sicut aues volantes, sic proteget Dominus exercituum, Hierusalem, protegens, & liberans tràsiens, & saluans.] Nam si aues, vt defendant fortus suos, nidos superuolant, & siue serpentem, siue hominem viderint, aut alias aues ad filios suos accedente, propriæ imbecillitatis oblitæ, rostro pugnant, & vnguibus: ita Dominus, vt mundanos vocet, & religiosos efficiat, non semel, sed sæpe tràstus per illos, vt a serpente, quæ mordet in silentio, id est, ab occulta tètatione defendat. & ab homine, nempe ab humanis, & secundum sæculum speciosis rationibus, protegat, & ab aueculis, nimirum, à timidis cogitationibus, tuatur, ne opus admirabilis conuersionis impediatur. Tranfit denique, vt animæ in castris sæculi militantes ad ipsum celeriter tràstent, quia nisi ipse priùs tràstiret per illas, & inuitaret illas, ipsæ ad eius castra nequaquam transfirent. In tràstui ergo isto magnificis verbis inuitat animas, quas ad se trahere disposuit, dicens: Tranfite ad me omnes, quæ concupiscitis me (quæ me prætereuntem aspicientes iam aliquantulum meam pulchritudinem desideratis) & à generationibus meis, hoc est à fructibus meis, adimplemini.] Hic enim tranfitus, quo à mundo ad me auctorem mundi tranferitis, non erit inutilis, sed ineffabilibus bonis vos ipsas cumulabit.

Transiens autem Dominus vidit animam, quam ad tam sublimem statum vocare decreuit, sanguine peccatorum fœdatam, prauis cupiditatibus impeditam, procliuem ad omne malum, auersam ab omni bono. Vnde in suo tràstui ait: Vidi te conculcatam in sanguine tuo.] Videre autem eam sanguinibus infectam, omniq; peccatorum genere viciatam, deberet iram Domini, ac indignationem pro uocare, non tamen ad iram (hæc enim est Dei nostri benignitas) sed ad misericordiam, ad pietatem, ad clementiam allexit. Vidit eam oculis illis dulcissimis, quibus respexit Petrum, non iam nutantem: sed planè ruentem, cum egressus foras fleuit amare.] Illis sanè, quibus respexit Matthæum vctigalium rationibus occupatum, cum illo verbo potèntissimo: sequere me,] excitauit dormientem, soluit cupiditate illigatum, aded vt statim nulla mora interiecta, surgeret, & sequutus sit eum. Illis deniq; quibus vidit Zachæum, non iam humi repentem, sed ascendentem in arborem lycomororum, vt iam in excelso constitutus transeuntem posset aspiciere. Vidit istum Dominus, & tantæ deuotionis feruore inuitatus dixit illi: Zachæe, festinus descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.] Longè tamen maius beneficium hic, nam tranfrens vidit animam conculcatam in sanguine suo, & non deuotione eius inuitatus, sed tantæ calamitatis miseratione motus, eam ad se vocat, & abscondit hæc verba penitus oblitæ, & à se ipsa alienatæ instillat. Quia hodie in domo mea oportet te manere.]

Videt ergo Dominus oculis benignissimis animam, quam ad se vocare decreuit, licet vitis, ac peccatis deditam, & solis rebus terrenis occupatam. Quia eam respicit, non vt puniat, sed vt iacentem erigat, fugientem reducat, maculatam lauet, fœdam venulet, pauperem dicit, & destructam, ac solo æquatam reedificet. Circuit Nehemias nocte quadam urbem Hierosolymam, & considerat calamitatem eius, murum scilicet dissipatum & portas eius consumptas igni, & domos desertas, atque destructas.]

Coloss. 1. 13.

Gal. 2. 9

Der. ser. 56. in cant.

Psal. 118: 155. Prou. 15. 29. Hierem. 9. 2.

Ioan. 5. 3.

Isa. 31. 5.

Eccle. 24. 26.

Matth. 26. 75.

Matth. 9. 10.

Luc. 19. 3.

2. Esdra 21. 13.

Hoc autem fecit, non vt more gentium eam iri-
deret, & subannaret, sed vt si posset ad pristinam
amplitudinem, ac dignitatem reduceret. Quare
his, qui cum ipso erant, dixit: Vos noſtis afflictio-
nem, in qua ſumus, quia Hieruſalem deſerta eſt, &
porta eius conſumpta ſunt igni, venite, & ædifi-
cemus muros Hieruſalem, & nō ſimus vltra in op-
probrium. Ita proſectō Dominus circuit animam
ad ſtatum religioſum, vocandam, conſiderat eam
conculcatam in ſanguine ſuo, id eſt, ſedentem in
peccatis ſuis. Iſta enim ſunt ſanguines, à quibus Pro-
pheta emendari poſtulabat, quando dicebat: Libera
me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis mee:] Quo-
rum ſœditate Iſraelitarum opera erant infecta, cum
audiunt: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.]
Hūc etiam ſanguinem ſe puniturum promittit Do-
minus per Oleam, dicens: Et viſitabo ſanguinem
Iezrahel ſuper domum Iehu.] Non tamen abomi-
natur ſanguine impuram, peccatis, & iniquitatibus
inquinatam: ſed videt eam, vt ipſius miſereatur, &
ad innocentiam reuocet puritatem. Aſpicit doctus
medicus filiam, quam vnice amat, grauiſſimo mor-
bo laborantem, vt compatiatur ei, & à morbo, adhi-
bitis remedijs, liberet. Cur non Dominus animam
peccatricem, quam ſanguinis ſui pretio redemit, be-
nigne etiam aſpiciat, vt eius miſereatur, & à morbis
peccatorum eripiat? Ita proſus aſpicit, & eius con-
ſenſu poſtulato potenter iubet paralyſim diſcedere,
& hominem incolumem ſurgere, & ſublato grabato
talenti ſui, in quo quaſi deſperatus ſurgēdi iacebat,
ad domū religionis conuolare. Videt ſculptor mar-
mor, aut ſtatuarius æs, ex quo ſculpturam, aut ſta-
tuam fabricare diſpoſuit: Videt pictor tabellam ap-
tiſſimam, in qua redemptoris imaginem delineare
ſtatuit: Videt aurifex aurum obrizum, ex quo pul-
cherrimum anulum ad celandam gemmam pre-
tiosam elaborare coſtituit. Videtur iſti materias ſua-
rum artium, vident, & exultant ſe occaſionem labo-
randi, & faciendi magnum lucrum inueniſſe. Non
multum curant, ſi marmora ſint in luto ſepulta. ſi ta-
bella ſit lituris ſœdata, ſi aurum ſit ſcoriæ permi-
ſtum, quia ſciunt terra obruta extrahere, interli-
ta expungere, & infecta, ac rudia purgare. Sic proſus
Dominus Deus tuus, o anima religioſa, vidit te con-
culcatam in ſanguine tuo, non tamen deſpexit, imò
exultauit, & gauſus eſt, quia aptiſſimam miſericor-
diæ ſuæ materiam inuenit. An non materia miſeri-
cordiæ miſeria eſt? Et quid te miſerabilius, quam
peccatorum reatus ligabat. mūdana deſideria ſuffo-
cabāt. & aduerſarius humani generis Diabolus vin-
ctam, & compeditam detinebat? Inuenit te tamquā
marmoreum lapidem iacentem in luto curarū ter-
renarum, & in cæno voluptatum impuriſſimarum,
& erexit te, vt faceret columnam Eccleſiæ ſuæ, fun-
datam ſuper baſim auream. Crura enim ſponſi di-
cuntur in canticis columnæ marmoreæ fundata ſu-
per baſes aureas,] quæ religioſos ſignificant; nam
mundanos homines, vita ſua, doctrinaque ſuſten-
tant. Et baſibus aureis inniuntur, quia in Dei, &
proximi charitate fundantur. Inuenit te tamquam
tabulam, innumeris lituris peccatorum infectā, ſed
lituras expunxit, vt ſui ipſius imaginemingeret, &
digito ſuo legem in te perfectionis conſcriberet.
Tabulas quidem illas, quæ legem veterem ſcriptam
continebāt, Moyses imperio Domini in arca Testa-
menti, vt illic ſeruarentur, collocavit, & te Dominus
iſpe in arca ſanctæ religionis incluſit, ne in ſæculo
detelictus inter tot occaſiones peccatorum perires.
Inuenit denique te tamquam aurum rude, & ſordi-
bus affectuum, ac paſſionum infectum, & purgavit

A te, vt eſſes annulus in manu dextera eius, non ſicut
Iechonias euellendus, ſed in perpetuum custodi-
endus. Vt in iſto annulo gemmam perfectæ virtutis
calaret, & omnibus, tum Angelis, tum hominibus
te opus ſuum pulchrum, & pretioſum oſtenderet.
Qui his oculis te vidit, o anima, abique dubio non
tibi iratus, & infeſtus: ſed mitis, ac benignus af-
pexit.
Vidit Dominus illos duos fratres, quos primò ad
dignitatem Apoſtolatus extulit, non quidem oculis
iratis, vt perderet, ſed manſuetis, vt ſaluaret, ad ſe
adiungeret, & ex piſcatoribus piſcium, hominum
piſcatores, & prædicatores efficeret. Eiſdem ergo
oculis, o anima, viſa eſt à Domino Deo tuo, quorum
aſpectu ad hoc te permouit, vt relictiſ retibus diui-
tiarum, & patre, & vniuerſis rebus mundanis, eum
ſequereris, qui te ex piſcatrice opū, & voluptatum,
in animarum ſaluatricem conuerteret. Aſpexit te, ſi
cut bonus paſtor ouem ſuam, ſicut trapezita ſapiens
gemmam ſuam, ſicut dilectus ſponſus ſpōſam ſuam.
Quia oculi Domini ſuper iuſtos, & ſuper eos, quos
potenter ad iuſtitiam vocat, vt eruat à morte animas
eorum, & alat eos in fame.] Aſpexit denique, vt eā
benedictionem aſſequereris. Conuertat Dominus
vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.] Ad hoc enim
vidit, vt à ſæculi contetionibus, & bellis eriperet, &
abundantiſſima pace, animique tranquillitate cum-
laret. Hanc autem inter mundanorum turbas, & ſol-
licitudines rerum temporalium, difficile admodum
eſt inuenire. Vnde Baſilius: Inquire (inquit) pacem,
nimirum ſolutionem à tumultuarijs mundi iſtius cur-
ris, para tibi mentem tranquillam, ſtatimque ani-
mæ vnum aliquem inquire, qui ſit ab omni fluctua-
tione, ac turbella curarum ſeiunctus, in quo nulla
agiteris vitioſæ affectionis intemperie, quo nullis
ſinas te auelli ac diſtrahi ſectarum opinionibus,
quamlibet veriſimile ementitis perſuaſione proli-
cientium te, & innitantium ad conſenſionem, vt pa-
cem illam dei tibi concilies, omnem proſus exupe-
rantem ſenſum, corque tuum cuſtodientem.] Ad
hoc ergo Dominus oculos ſuos in nos deſiſit, vt à
bellis liberaret, & ad iſtam pacis ſtatum vocaret.
O quam appoſitè de his oculis Domini, quorum
aſpectu homines ad religionem vocandos dignatur,
ſcriptum eſt: Pulchriores ſunt oculi eius vino.] Si
enim vino capti, extra ſe ipſos ducuntur, omnium
obliuiſcuntur, nec honorem reputant, nec ignomi-
niam, curant, nec conſanguineorum, aut ſodalium
proſperitate gaudent, vel aduerſantibus contriſtan-
tur: Oculis Domini capiuntur animæ multò poten-
tius, quæ ſemel benigne conſpectæ ita ſe ipſas deſe-
runt, honorem abiiciunt, ignominiam contemnunt,
proſperitate mundi, & aduerſitates aſpernantur, vt
non vino captæ, cuius furor cied conſumitur, ſed
beato quodam lethargo ſopitæ eſſe videantur. Aut
quandam iſtarum conſpectu Domini ad ſapientif-
ſimam ſobrietatem traductarum: animam dico Bea-
tiſſimi Ephraem Syri, ita in ſuo teſtamento mundi
gloriam conculcantis. Nulla (inquit) Ephraem ceci-
neritis carmina, nullamque laudationem adhibueris.
Ne me cum pretioſo ſepelieritis veſtimento, ne
ve priuatim corpore meo conſtitueritis tumulum:
mihi enim cum Deo conuenit, vt inter peregrinos
commoret. Aduena quippe ſum ego, & peregrinus,
ſicut otanes patres mei.] Quis ambigat iſtum dor-
mire ſæculo, & rebus mundanis veluti ebrium exi-
ſtere, Deo verò ſatis ſobrium, atque perugilem, qui
tam conſtanter humanam gloriam auerſatur, vt di-
uinam inueniat, & terrenam laudationem fugit, vt
inter beatos Spiritus conſtitutus æternam laudem

Ibid. 3. 17.

Pſal. 50. 16.

Iſa. 1. 15.

Oſea 1. 4.

24.

2. 26.

th. 9.

19.

Cam. 5. 15.

Exod. 40. 16.

Eſdra 13.

Iere. 22. 24.

Matt. 1. 18.

Pſal. 35. 16.

Num. 6. 27.

Baſil. in Pſal. 33. in illud, inquire pa- cem.

Ephraem in teſtam. 10.

mereatur? Hoc faciunt oculi Domini splendidiore vino, qui animam illustrantes immenso lumine sapientiae perfundunt, quo honoris mundani vilitatem aduertat, & à febus caducis ac perituris alienant. Pulchriores sanè oculi eius vino, quia vinum homines à sana mente in insaniam transfert, oculi autem Domini ab horrore tenebrarum in luminis locum traducunt. In illum (inquam) locum, in quo mundus pro Deo deseritur, bona vilissima pro pretiosissimis relinquuntur, Domus angustiae pro regia voluptatis aula commutantur. Hi oculi sunt, qui nos dissimulantes inuitant, vt properaremus exire sicut Noe de tempestate diluuij ad quietem arcae: sicut Loth de incendio Sodomae ad refrigeriũ montis: sicut Israëlitae de captiuitate Aegypti ad libertatem terrae promissae, & sicut pueri Hebraei de fornace Babyloniae ad locum, quem fecit Deus quasi ventum roris flantem. Hi oculi sunt sicut columbae super riuulos aquarum, quae lacte sunt lotae.] Columba namque felle carens, riuos aspiciens aquarum, & lacteo colore, ac suauitate fuffula, quid mirum, si oculos Christi designet, qui neque aspectu peccatorum nostrorum, ad itam permouentur, nec miserationis suauitatem amittunt, nec se ab aquarum riuulis auertunt, id est, ab exiguitate nostra, quae semper instar aquae decurrit, & numquam in eodem stptu subsistit? Vidit te, o anima, Deus tuus, vidit te, non pulchram, sed deformem, non mundam, sed turpem & conculcatam in sanguine tuo: & simplicitate, ac mansuetudine columbina respiciens, non est ira commotus, nec indignatione perturbatus, sed misericordiae dulcedine tactus intrinsecus, quod sequentia Ezechielis verba demonstrant.

Genes. 6.
18.
Genes. 19.
17.
Exod. 12.
51.
Daniel. 3.
Cis. 4. 1.

De vocatione religiosa, & quòd homo beneficio eius vocetur ad vitam.

CAPVT XIII.



ET dixi tibi (inquit) cum esses in sanguine tuo, Viue. Dixi, inquam tibi in sanguine tuo, Viue.] Hoc est primum religioſae vitae beneficium, quae à diuina vocatione exorditur. Diuina verò vocatione nulla alia voce commodius explicari potuit, quam hoc verbo, Viue. Nam cum quis ad religionem vocatur, à faucibus mortis eripitur, & vocatur ad vitam. Nam in saeculo, Christo moriebatur, & morti vivebat, dum omni sceleri, & iniquitati habenas suae cupiditatis laxabat: in caetu autem eorum, qui se Deo consecraverunt, morti moritur, & Christo, qui est vera vita, viuit, cum vitis, ac iniquitatibus abdicatis operibus vitae, scilicet virtutis, & sanctitatis actionibus vacare contedit. Sed qua ratione Dominus eos, quos amat, vocet, & ad vitam religiosam trahat, attendenda est consideratione videndum. Sūt enim homines vitam saecularem agentes, si prauis cupiditatibus gubernentur, tamquam ossa arida, nullo spiritus vigore fulcita, nullo carnis, ac neruorum vinculo copulata, nullo cutis operimento contexta. Neque spiritum gratiae habent, quia peccatis se subdiderunt, nec charitatis nexum, quia propria comoda (nulla habita proximorum ratione) intemperanter quaesierunt, nec virtutis operculum, quia eam à se vitis ac criminibus abdicarūt. Dominus autem, vt eos vocet, vniciuque ipsorum dicit, Viue.] Clamat certè voce grandi, illa, inquam, voce, de qua scriptum est. Vox Domini in

Ezech.
16. 6.

Psal. 29.
4.

A virtute, vox Domini in magnificentia.] Innotat voce virtutis & dicit. Ossa arida, audite verbum Domini.] Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.] Et tunc quidem, ecce commotio, & accedunt ossa ad ossa, vnusquodque ad iuncturam suam, & ecce super ea nerui, & carnes ascendunt, & extenditur in eis cutis desuper, & ingreditur in ea spiritus & viuunt, & stant supra pedes suos, exercitus grandis nimis valde.

Ezech.
37. 4.
Iere. 51.
6.

B Primò adest commotio, cum ij, qui vitam religiosam sunt aggressuri, à somno vitiorum excitantur, in quo iacebant penè sepulti, & de nouo vitae genere sectando, meditari incipiunt. Secundò, accedunt ossa ad ossa, vnusquodque ad iuncturam suam, cum institutum sibi accommodatum, & à diuina prouidentia praordinatum, accipere statuerunt. Tertio, fortitudinis neruos acquirunt, quibus mundo blandienti, & status mutationem impediendi, resistunt. Item molli carne vestiuntur, secundum illud. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.] Quo spontaneè & sine vlla difficultate, quae suspiciebant, contemnunt, quae amabant, relinquunt. Deinde, cute prudentiae se contegunt, quae concepta desideria à consanguineis & amicis, ne clament, & prestrepant, sapienter abscondunt: postea spiritu amplioris gratiae viuificantur: (nam omnia, quae hucusque diximus, gratiae sunt) & illo ditati negotium bene consideratum, & impensè commedatum gnauiter aggrediuntur. Ac rursus viuunt, cum omnia, quae mortem afferebant, in ipso ingressu religionis, per veram detestationem deserunt, & modo viuendi placido, atque tranquillo semetipsos subiiciunt. Et tandem stant supra pedes suos, imò & super omnia terrena & visibilia per contemptum mundi, consistunt exercitus grandis nimis valde, qui possit alios vitae suae imitatione, & efficacia verbi à morte liberare, & ab hostium incurſione defendere. Haec omnia facit Dominus verè magnus & potens cum animabus in sanguine suorum vitiorum iacentibus, dicit, Viuite.]

Ezech. 11.
19.

C Audita hac voce, Viue:] qua abducuntur à morte, & inuitantur ad vitam, sine dubio viuunt, quia à corruptione peccati liberantur, à morte vitiorum suscitantur, & natali quodam spiritali nascuntur. Nasci quippe est, veteres mores deserere, & non nos assumere. Nascitur homo (inquit Bernardus) quando sol iustitiae ortus in animo peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei iudicium internis obtutibus offert, addens ad terroris vinculum breuem dierum numerum, & finem incertum. Haec planè vesperta est, ad quam demorabitur fletus, & necesse est addi matutini laetitiam, vt auditam faciat nobis misericordiam suam: sic enim fit vespere, & mane dies vnus. Est autem dies ista iustitiae, reddens vniciuque quod suū est, nobis miseriam, misericordiam Deo. In hac die puer nascitur, quando ex his, quae diximus, ad amorem poenitentiae, & odium peccati animus excitatur.] Vbi autem haec natiuitas cum magna tranquillitate habeatur, subdit, dicens: sed periculum est si forè velit inter saeculi turbas agere poenitentiam vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccatum alliciant; alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in intemperantiam animum eius deiciat. Praecedat iam necesse est prudentiae radius, ostendat quantas, & quam importunas (praesertim in hac generatione nequam) opportunitates, & occasionis peccati offerat mundus, & ingerat: quàm debilis sit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati consuetudine sit nutritus. In hac ergo die prudentiae eligat de

Bern. ser.
3. de cir.
cum.

praesenti